

SANNAZARO Iacopo

ELEGIAE (1506 vers)



Titien
 portrait de Jacomo Sannazaro

ELEGIARUM LIBER I

ELEGIA PRIMA, AD LUCIUM CRASSUM.

E1_01	v.1	Te fecunda tenent saxosi rura Petrini,
	2	rura olim proavis facta superba meis.
	3	Et Sinuessanas spectas, mea gaudia, nymphas,
	4	quique novo semper sulfure fumat ager.
	5	Et modo miraris veteres in litore portus ;
	6	nunc Liris gelida qua fluit amnis aqua.

7 Cunctaque felici figis vestigia cura,
 8 observas Latiae dum monumenta viae.
 9 At mihi paganae dictant silvestria Musae
 10 carmina, quae tenui gutture cantat amor.
 11 Fidaque secretis respondet silva querelis :
 12 et percussa meis vocibus antra sonant.
 13 Nec tantum populos, nec tantum horrescimus urbes,
 14 quantum non justae saevitiam dominae.
 15 Hoc vitae genus, hoc studium mihi fata ministrant :
 16 hinc opto cineres nomen habere meos,
 17 me probet umbrosis pastorum turba sub antris,
 18 dum rogat agrestem lacte tepente Palem.
 19 Me rudis indocta moduletur arundine Thyrsis ;
 20 et tam constanti laudet amasse fide.
 21 Inde super tumulumque meum, manesque sepultos
 22 Tityrus ex hederaserta virente ferat.
 23 Hic mihi saltabit Corydon, et pulcher Alexis :
 24 Damoetas flores sparget utraque manu :
 25 fluminibusque sacris umbras inducet Iolas,
 26 dum coget saturas Alpheisiboeus oves.
 27 Non mihi Maeonidem, Luci, non cura Maronem
 28 vincere : si fiam notus amore, sat est.
 29 Quid feret Aeacides nobis, quid cautus Ulysses ?
 30 Quid pius Aeneas, Ascaniusve puer ?
 31 Ista canant alii, quorum stipata triumphis
 32 Musa vagum e tumulis nomen in astra ferat,
 33 at mihi te te avidis liceat vincire lacertis ;
 34 osculaque optata sumere longa mora.
 35 Et liceat posita mirari membra lucerna ;
 36 noctis et insolitas nectere blanditias :
 37 atque manus, atque ora tuis componere in ulnis ;
 38 teque meo lassam saepe fovere sinu.
 39 Sed quid ego, hei misero, ventosus inania fingo
 40 somnia ; quae forsitan non feret ulla dies ?
 41 Felix, qui potuit duram exorare puellam ;
 42 et capere optati gaudia conjugii.
 43 Ille dies, noctesque suos decantat amores ;
 44 et recolit Veneris dulcia furta suae.
 45 Ille etiam liquido perfusus odore capillos,
 46 exercet tenerum nocte juvante latus :
 47 inque sinu dominae primos reminiscitur ignes ;
 48 quos leviter pennis aureus afflat Amor.
 49 Nec cupit, Aethiopum quae canent vellera silvis ;
 50 nec, quae Sidonio lana cruore rubet.
 51 Solus habet, fuscis quidquid portatur ab Indis :
 52 solus habet ripas, aurifer Herme, tuas ;
 53 et quascumque metit segetes fragrantibus arvis
 54 Medus, et assiduo sole perustus Arabs.
 55 Non auro, aut gemmis miseri torquemur amantes.
 56 Qui dominam poterit flectere, dives erit.
 57 Dives ero ante alios, si te, mea vita, volentem
 58 sustineam ignota pauper, et exsul humo.
 59 Nam quid rubra juvant fulgentibus aequora conchis ?
 60 Aut quae multa niger rura Sabaeus arat ?
 61 Quidve torus prodest, pluma spectandus, et ostro ;

62 si non est gremio cara puella meo ?
 63 Si trahere infelix inter suspiria noctem
 64 cogor ; et, aeternos esse, negare, Deos ?
 65 Num me neglectis, devovit saga sepulcris ?
 66 Num rumpunt somnos carmen, et herba meos ?
 67 Carmen inaccessa traducit ab illice glandes :
 68 carmen nocturnae supprimit ora canis.
 69 Carmen et informi pallentem sanguine solem
 70 inficit ; et Lunae sistit euntis equos.
 71 Quid queror infelix ? Utinam mihi sola nocerent
 72 carmina ; nec nostro pectore inesset amor.
 73 Ille vel Aeaee superat cantamina Circes :
 74 ille vel Aemoniis nata venena jugis.
 75 Parce, puer : non vana queror : tu vulnere nostro
 76 crescis ; et exsultas, saeve, cruore meo.
 77 Quod si te nostrae ceperunt taedia vitae :
 78 ne cesset, quaeso, funeris atra dies.

ELEGIA SECUNDA, AD JOANNEM PARDUM HISPANUM.

E1_02 v.1 Parde, decus patriae, spes maxima, Parde, tuorum,
 2 atque idem Hispani gloria rara soli :
 3 quem juvat immensi causas exquirere mundi,
 4 primumque constanti corpora juncta fide :
 5 an magnum aeterni volvatur Numine caelum :
 6 an propria hoc ingens mole laboret opus :
 7 cur salsi fluctus : cur ignibus aestuet Aetna :
 8 cur vomat epotas vasta Charybdis aquas :
 9 unde nitor stellis : cur nox majorve, minorve :
 10 cur non ipsa suo lumine luna micet.
 11 Felix, caelestes cui fas nunc scandere sedes :
 12 in queis post obitum fata manere sinant.
 13 At nos per silvas, et sordida rura, capellas
 14 versamus : quando Phyllis amare jubet.
 15 Et teneris nostros ulmis incidimus ignes ;
 16 quos legat errantum coetus Hamadryadum.
 17 Et nunc capreolos, et nunc venamur onagros :
 18 interdum saevas fallimus arte feras.
 19 Saepe juvat, pictas visco captare volucres :
 20 nec Satyris ipso cedimus aucupio.
 21 Quod mihi si liceat tenui revocare cicuta
 22 Trinacrii niveas opilioni oves :
 23 rura colam semper : populi valeatis, et urbes :
 24 rura dabunt oculis grata theatra meis.
 25 Illic gramineas, pastorum bella, palaestras
 26 adspiciam, et celeri praemia parta pede.
 27 Nec me paeniteat sudibus certare columnis ;
 28 aut armare cavis pectora corticibus.
 29 Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci :
 30 victores molli caespite sarta ferent.
 31 Plenaque pellitus lustrabit ovilia pastor :
 32 ponet et agricolis rustica liba deis.
 33 Stabunt capripedes abiegnis robore Fauni :

34 stabit et indocta falce dolata Pales.
 35 Quorum solennes ictus cadet agnus ad aras ;
 36 ictus, ut innumeras expiet agnus oves.
 37 Tum milium, et niveo statuet fumantia lacte
 38 pocula ; votivas concipietque preces :
 39 et ter transiliet flammantes potus aristas,
 40 ter quoque non tardo rustica turba pede.
 41 Dii facite, inter oves, interque armenta canendo
 42 deficiam ; et silvis me premat atra dies :
 43 ut me non docta deploret pastor avena :
 44 utque sub umbrosa contumuler platano :
 45 Ossaque pascentes venerentur nostra capellae :
 46 nec procul a tumulo candida balet ovis.
 47 Exsultent alii Panchaeo munere Manes ;
 48 et quaerant Pariis marmora caesa jugis.
 49 Mi sat erit, veteres recolat si Phyllis amores ;
 50 conserat et vernas ante sepulcra rosas.

ELEGIA TERTIA, AD AMICAM.

E1_03 v.1 Nulla meos poterit mulier praevertere sensus ;
 2 ipsa licet caelum linquat, et astra Venus.
 3 Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis :
 4 ultima tu tremulo flamma futura seni.
 5 Jam sanxere semel nos inter foedera Divi,
 6 foedera ad extremos non soluenda rogos :
 7 ut, si nostra tuo superesset funere vita ;
 8 (Dii tamen in ventos omen abire sinant)
 9 ipse ego composito venerarer operta sepulcro
 10 Ossa, ferens maesta tura, merumque manu.
 11 Umbrarumque sacer custos, tumulique, sacerdos
 12 concinerem querula tristia verba lyra.
 13 Nec me complexa quisquam divelleret urna ;
 14 quin cineri moriens oscula summa darem.
 15 At si, quod potius cupio, tibi fata dedissent,
 16 lumina formosa condere nostra manu :
 17 tunc, mihi quum caros vultus spectare liceret ;
 18 atque anima tecum jam fugiente loqui :
 19 ipsa meos tumulo Manes laniata vocares ;
 20 inque tuo legeres ossa minuta sinu :
 21 flebilis et longos scindens ad busta capillos,
 22 clamares nomen jam moritura meum.
 23 Tum cineri, et mutae persolvens justa favillae,
 24 mista dares rutilis lilia cana rosis.
 25 Illic maesta dies, illic consumere noctes
 26 optares ; nec te vinceret alter amor :
 27 sed memor usque viri, canis veneranda capillis,
 28 adferres tremula munera cara manu.
 29 O mihi, dum tales tumulo reddantur honores,
 30 tam lentam Lachesis scindat avara colum.
 31 Non, ut nostra novos Arabum bibat urna liquores ;
 32 ustus et Assyrio spiret odore cinis :
 33 aut ut clara mei notescat fama sepulcri ;

34 altaque marmoreus sidera tangat apex :
 35 sed magis ut liceat longas audire querelas ;
 36 et genere e lacrimis sarta rigata tuis.
 37 Tunc ego Lethaeae spatiatum in aggere ripae ;
 38 qua nitet obtuso lumine falsa dies ;
 39 quaque levis casiae nemus, ambrosiaequae virentis,
 40 et fortunatos alluit unda greges :
 41 dulcia praeteritae repetens insomnia vitae,
 42 ostendam Elysiis tot mea dona choris.
 43 Felicesque animas inter felicior ipse
 44 excipiam plausus laeta per arva novos.
 45 Atque aliquis comitum, laetusque, hilarisque recentes
 46 sparget humi flores ; et mihi sarta feret.
 47 Nec contentus eo, fidos extollet amores ;
 48 narrabitque aliis de pietate tua.
 49 Sed quoniam tenerae vernant nunc laeta juventae
 50 Tempora ; et amplexus jungere fata finunt :
 51 dulcia lascivo jungamus gaudia lecto.
 52 Jam properat mortis panda senecta comes.
 53 Jam properant rugaeque graves, et senior aetas :
 54 nec dabitur molli ludere posse toro.
 55 Interea cupidis nectamus colla lacertis :
 56 ultima jam solvet, quum volet, hora duos.
 57 Dii facite, haec longos maneat spes certa per annos.
 58 Candidus et pennis omina firmet Amor.

ELEGIA QUARTA, AD LUCINAM, PARTURIENTE CORNELIA PICCOLOMINEA,
 ANTONII GARLONII ALLIFARUM - DOMINI CONJUGE.

E1_04 v.1 Affer opem tenerae tandem, Lucina, puellae :
 2 auxilio, digna est, quam tueare tuo.
 3 Te vocat et madidis solam suspirat ocellis ;
 4 et roseo tacitas fundit ab ore preces.
 5 Illa quidem insueto languet male firma dolore,
 6 vixque potest longae tot mala ferre morae.
 7 At tu, Diva, veni, tecumque unguenta repostae
 8 pyxidis, et siqua est, quae juvet, herba, feras.
 9 Sic flentis miseros juvenis compescere questus,
 10 sic una poteris forte levare duos.
 11 Lucis adest Dea magna : metum jam comprime, Garlon :
 12 non frustra est lacrimis illa vocata tuis.
 13 Da costum, myrrhamque focis quaeque orbe remoto
 14 Cinnama per rubras navita vectat aquas.
 15 Ipse deam venerare, sacras projectus ad aras ;
 16 et genio annosum saepe refunde merum.
 17 Sed trepidi cessere metus, cessere querelae.
 18 Jam parit adventu tacta puella Deae :
 19 jam puerum est enixa : vides, ut lumine matrem
 20 exprimat ? En, tenero quantus in ore decor.
 21 Salve, parve puer, cui jam felicia rident
 22 saecula ; cui pharetram sponte remittit, Amor.
 23 Nam sive auratis humeros armare sagittis,

24 seu juvet accensas sollicitare faces ;
 25 seu potius jactare leves pueriliter alas,
 26 et dare neglectas post tua terga comas :
 27 quis te non Paphiis nutritum vallibus, aut quis
 28 Idaliae Puerum non putet esse Deae ?
 29 Vive, precor, blandumque oculis ridere parenti
 30 assuesce ; et dulces disce movere jocos.

ELEGIA QUINTA, AD JULIUM SENENSEM, EXSULEM.

E1_05 v.1 Quum mihi languentes dolor oppugnaret ocellos ;
 2 cogerer et tristi solvere verba sono :
 3 ingratos inter gemitus, maestasque querelas
 4 allata est manibus litera missa tuis.
 5 Inspexi, agnovique tuas, mea Numina, Musas,
 6 Pieriosque haustus, Castaliumque decus.
 7 Poscis, ut iratum placent mea carmina Phoebum ;
 8 et flectant duras ad tua vota deas.
 9 Non hoc ingenium, non haec facundia nostra est :
 10 i, precor, atque alio flumine pelle sitim.
 11 Ille mihi faciles jampridem denegat aures ;
 12 et vetat argutae tangere sila lyrae.
 13 Nec mihi jam solito latices de fonte ministrat,
 14 nec docet optatos Calliopea choros.
 15 Quid petis extinctam dilapso a torre favillam ?
 16 Quid miser a nostro vulnere quaeris opem ?
 17 Jam tibi felici decurrunt carmina vena ;
 18 et rapit ad patrium te tua Musa decus.
 19 Ipsa mihi visa est, te lamentante, Thalia
 20 ingemere et tristi Delius ore queri :
 21 qualis Strymonias olim quum fleret ad undas
 22 Orpheus indignis vocibus Eurydicen :
 23 qui cantu Ismarii gelidis in rupibus Aemi
 24 adtonuit quercus, adtonuitque feras :
 25 saxaque Bistonis deduxit montibus, et te
 26 currentem adstrictis, Hebre, repressit aquis.
 27 Scilicet egregios semper Fortuna poetas
 28 tanget, et ancipiti deprimet usque rota ?
 29 Neve sit extremos tantum submotus ad axes
 30 ille, Tomitana qui jacet exsul humo :
 31 te quoque nunc rigidi premit inclementia fati ;
 32 longius et patria cogit abesse domo.
 33 Sed nisi per magnos quaeratur fama labores ;
 34 omnis in ardentis est abitura rogos.
 35 Sic pius Aeneas, sic stirps Laertis Ulysses
 36 majus post cineres emeruere decus.
 37 Sic quoque sublatis Tirynthius undique monstris
 38 visit ab Oetaea regna paterna pyra.
 39 Et te, crede mihi, tot saeva incommoda passum
 40 virtus sublimi ducet in astra via.

ELEGIA SEXTA, IN FUNERE SARRI BRANCATII, LUCRETIA UXOR.

E1_06 v.1 Ergo importunae ruperunt stamina Parcae,
 2 stamina lanifica tam bene ducta colo ?
 3 Ergo ego, quae fueram tali modo nupta marito,
 4 frigida nunc tristi conqueror in thalamo ?
 5 Quisque his dignus erat vitam exhalasse labellis,
 6 occidit externis advena litoribus ?
 7 Felices ninium, fortunataeque Sorores,
 8 quae datis aeternis tura Sabaea focis.
 9 O utinam numquam amplexus, numquam oscula nossem :
 10 essem pars vestri nempe ego parva chori.
 11 Care vir, audaci nimium confise juventae,
 12 et nimium lacrimis umbra gemenda meis :
 13 quis te tam densos immittere corpus in hostes
 14 jussit ? An ad pugnam non satis unus erat ?
 15 Me miseram, non ulla tuae te cura puellae,
 16 non subiit maestae certa ruina domus.
 17 Tu mihi per sanctos solitus jurare hymenaeos,
 18 per non laedendi foedera conjugii ;
 19 te non immemorem carae fore conjugis umquam ;
 20 etsi Lethaeus tingeret ora liquor.
 21 Quin ipsa admonui, ne sic violentus in arma
 22 irrueres : eheu quo, violente, ruis ?
 23 Quo raperis ? Quo jam nostri tibi cura recessit ?
 24 An potes uxoris non meminisse tuae ?
 25 Vix equidem credo ; quamvis heu credere cogar ;
 26 tam cito pectoribus me cecidisse tuis.
 27 Sed cecidi, sic sors tulit impia ; nullaque pro me
 28 vota salutare demeruerunt Deos.
 29 Hectora sic conjux, sic conjux flevit Achillem ;
 30 sic misera exstinctum Laodamia virum.
 31 Nunc mea virginitas, quando inlibata remansit ;
 32 servetur cineri non violanda tuo.

ELEGIA SEPTIMA, AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

E1_07 v.1 Sancte senex, quem nec sceleris contagia nostri,
 2 nec pessum vitiis saecula dedere suis ;
 3 aequasti magnos qui paupertate triumphos,
 4 tantus amor niveae simplicitatis erat.
 5 Silva tibi sedes, viridique e caespite lectus,
 6 explebant mensas amnis, et herba tuas.
 7 Talis erat priscis victus mortalibus olim.
 8 Sed priscis tantum vivere cura fuit.
 9 At te diversos naturae expendere casus
 10 juvit, et instantes Divum aperire metus :
 11 submotumque oculis animo percurrere Caelum :
 12 quasque tenes sedes, mente adiasse prius :
 13 noscere praeterea cunctarum exordia rerum :
 14 quod vix humanae conditionis erat.

15 Magnum opus, ut prima surgentis origine mundi,
 16 omnia sint senis edita luciferis :
 17 utque pater sancta demum cessare quiete
 18 perfecto artifices jusserit orbe manus.
 19 His addis cultusque pios, ritusque verendos,
 20 cunctaque legifero tradita sacra Duci :
 21 quaeque suis castae saeculis cecinere Sybillae :
 22 quaeque Sacer Vatum Spiritus ore refert :
 23 sidereos partus, demissaque pignora caelo,
 24 atque inopes cunas, stramineumque torum :
 25 speratumque diu terris, caeloque probatum
 26 verum hominem, verum mente, animoque Deum.
 27 Hinc et supplicium infandum, atque obprobria mortis,
 28 claraque de Stygia ducta trophaea domo :
 29 denique, ut ad Patrem populo spectante suorum
 30 cesserit ; igniferis praesideatque locis :
 31 quantaque nos maneant promissae gaudia vitae :
 32 quantaque venturae gloria lucis erit.
 33 Miremur, tibi si placidi penetrare Tonantis,
 34 et patet immensi regia clara poli :
 35 quum tantum his superas meritis sit scandere in arces,
 36 qua plaga securum lactea monstrat iter ?
 37 Scilicet inde datur terras spectare jacentes,
 38 et circumfusi brachia curva maris ;
 39 solis et ardentis radios, Lunaeque recursus :
 40 qualiter et pacta stent elementa fide :
 41 nec minus aeternis niteant ut sidera flammis :
 42 et peragant varias noxque, diesque vices.
 43 Felix, qui nostras potuisti linquere curas ;
 44 et procul humanas despiciere illecebras.
 45 Felices, qui te colles videre loquentem ;
 46 quaeque tibi gratos praebuit herba toros :
 47 quaeque arbor, rupesve sacra te fovit in umbra :
 48 et quae nunc Manes continet urna tuos.
 49 Nam licet incultis fuerit tibi vita fub antris ;
 50 nunc pedibus data sunt astra terenda tuis.
 51 Attamen o dic, sancte Pater, dic, addita Caelo
 52 gloria, dic, patriae fama, decusque tuae :
 53 ecquid te solitis mulcet sapientia chartis,
 54 mollis ubi Elysium concitat aura nemus ?
 55 An juvat aurata meditantem carmina canna,
 56 nectere purpurea tempora cana rosa ?
 57 An mage virgineis sedet invigilare choreis :
 58 quum deceat caelo, quidquid in orbe libet ?
 59 An potius toto Superum spectante senatu,
 60 diluis aethereo crimina nostra foro ?
 61 Denique quidquid agis, nitidi novus incola Caeli,
 62 pectoribus nostris non leve Numen eris.

ELEGIA OCTAVA, AD PETRUM DE ROCCA FORTI,
MAXIMUM REGIS GALLIARUM CANCELLARIUM.

E1_08 v.1 Quod pectus tibi forte, quod ardua pectoris arx est ;
 2 quod forti dignum pectore nomen habes :
 3 quod leges sua jura tenent te vindice ; quodque
 4 omnia virtuti pervia facta tuae :
 5 autumnum sedem, chelasque Astraea reliqui ;
 6 advenique tuos, noster alumne, lares.
 7 In cunis ego te, si nescis, sedula fovi.
 8 Reptasti gremio sarcina grata meo,
 9 ipsa tuos finxi mores, animumque, manusque :
 10 ingeniumque sagax, iudiciumque dedi,
 11 hinc nostri cultusque frequens, optandaque rerum
 12 cognitio, hinc fidei nomina tanta tuae.
 13 Ad te igitur duplices subnixo poplite palmas
 14 insuetis tendo sollicitata malis :
 15 ne patiare, meas Latio languescere vires.
 16 Pendet ab auxilio spes mea tota tuo.
 17 Deprimor audaces inter derisa ministros :
 18 nec fas ingenuum tollere ad astra caput.
 19 Quodque diu partum est virtute, et fortibus armis
 20 imperium, foedae servit avaritiae.
 21 Nec mirum, vestro tantum quum distet ab orbe,
 22 terraque censura sit procul illa tua.
 23 Quis credat ? Tectis cives pelluntur avitis ;
 24 adrogat injustas dum sibi fiscus opes,
 25 fiscus opes miserorum. Hoc est, heu, parcere victis ?
 26 Hoc et Ausonio reddere jura solo ?
 27 Cogitur infelix alienas ire per oras
 28 nobilitas, patriis exspoliata bonis :
 29 culpaturque fides domino servata priori,
 30 et maris, et terrae non labefacta minis.
 31 Scilicet est crimen duram contemnere mortem :
 32 scilicet est reges crimen amare suos.
 33 O bene fortunae memores, quicumque superbas
 34 gentibus a victis abstinuere manus.
 35 Nam quamvis saevos illectet praeda tyrannos :
 36 magnanimos reges gloria sola juvat.
 37 Delentur nullos hominum benefacta per annos ;
 38 quaque licet faciunt nos ratione Deos.
 39 At si quis serae spernit praeconia famae,
 40 quercubus Alpinis adnumerare potes.
 41 Ergo tu, regem cui fas lenire potentem ;
 42 da desideriiis vela secunda meis.
 43 Effice, Justitiae soliti reddantur honores :
 44 dignus es, altricem qui tueare tuam :
 45 sed soror ut nostros aequet Clementia fasces :
 46 qua sine, dura nimis, difficilisque vocer.
 47 O decus, o lapsi, spes constantissima saeculi ;
 48 o vir fortuna fortior ipse tua.
 49 Sic tibi contingat, Solyma de gente triumphum,
 50 captaque per nostros signa videre duces.
 51 Sic Rhodanum Nilo spectes dare jura subacto

52 perque araris ripas plurima laurus eat.
 53 Hoc ego te, mecum hoc Phoebus, doctaeque Sorores,
 54 hoc pietas, hoc jus, nobilitasque rogant.

ELEGIA NONA, DE STUDIIS SUIS, ET LIBRIS JOVIANI PONTANI.

E1_09 v.1 Qui primus patrios potuit liquisse penates
 2 et maris, et longae taedia ferre viae ;
 3 quem non maesta domus, quem non revocare parentes,
 4 non potuit fuis blanda puella comis :
 5 impius, et scopulis, et duro robore natus
 6 atque inter tigres editus ille fuit.
 7 Non mihi circumstat solidum praecordia ferrum ;
 8 nec riget in nostro pectore dura silex :
 9 ut possim dulcesque lares, limenque puellae
 10 linquere, et ignoto quaerere in orbe domum,
 11 sed Phoebi sacros cogor lustrare recessus,
 12 vocalemque undam, Thespiadumque choros :
 13 ut fugiam nigras supremo in funere flammis ;
 14 et volitem populi docta per ora mei :
 15 meque inter claros attollat fama poetas ;
 16 nec rapiat nomen nigra favilla meum :
 17 et nostro celebrata superbiat Umbra sepulcro
 18 spernat et e Phariis marmora caesa jugis
 19 non tamen ut magni tumulum tentare Maronis
 20 audeat ; aut tantum speret habere decus.
 21 Sed quis tam niveis vellat mea colla lacertis ?
 22 Quis vetet optato membra fovere sinu ?
 23 An tanti fuerit sacro Parnassus hiatu,
 24 perque suas passim templa habitata deas :
 25 ut tibi sit nitidos lacrimis corrumpere ocellos,
 26 discessumque fleas, cara puella, meum ?
 27 Ah pereat, quicumque leves sectatur honores ;
 28 et sequitur famae nomina vana suae.
 29 Tecum ego nocturnis dubitem cessare choreis ?
 30 Tecum ego conspersa gaudia inire rosa ?
 31 Deductumque levi crinem perfundere amomo ?
 32 Et noctem insolitis ducere blanditiis ?
 33 Scilicet et Turcas Pontanus in aequora classes,
 34 Alfonsi et fortes ducat in arma manus,
 35 qui nunc nascentis canit incunabula mundi,
 36 aureaque aetherea sidera fixa domo :
 37 utque imbres, lapidesque pluant, ut nubibus ignes
 38 exsiliant, falsas ut mare volvat aquas :
 39 Hesperidumque hortos, excussaue poma draconi,
 40 rusticaue ad primos munera missa toros :
 41 delicias, Lepidina, tuas, resonansque vicissim
 42 pastorum argutis carmen arundinibus :
 43 qualiter et fulvis radiet Sertorius armis ;
 44 et Pompeianus proelia tentet eques :
 45 audeat arguto neu quis contendere versu,
 46 ille vel aeterno digna Marone sonat.
 47 Te pater irriguis audit Sebethus in antris,

48 jurgia ad ingratas dum jacis ipse fores.
 49 Inde vocas sacrum festas Hymenaeon ad aras,
 50 optati referens foedera conjugii :
 51 utque tuis primum surgens complexibus uxor,
 52 visa sit erepta virginitate queri.
 53 Felix, qui fidos expertus conjugis ignes,
 54 vidisti sobolis pignora certa tuae :
 55 naeniolasque rudes cecinisti, et blanda parentis
 56 oscula, et ad cunas murmura nata suas.
 57 Felix, excultum torsit quae Fannia vatem
 58 quaque illic regnum cinnama subripuit.
 59 Quamvis dissidii leges patiantur amaras,
 60 spectabunt cineres nomen habere suos.
 61 Eridani post haec sed te quis credat ad amnem
 62 populea canas fronde ligasse comas ?
 63 Et stellam cecinisse, atque impendisse querelas
 64 spectandos quum jam vix daret illa pedes :
 65 Baianosque sinus, myrtetaque cognita Nymphis,
 66 clausaque sulphureis antra recurva jugis :
 67 tum Superum laudem, mutisque incisa sepulcris
 68 nomina, collapsos et reparare rogos :
 69 denique Pindaricosque modos, resonantia plectra,
 70 et Methymnaeae fila novasse lyrae :
 71 quum tamen interea motus, atque agmina Regum,
 72 bellaque Campanae discutis historiae.
 73 Quin et jucundo distringis saecula morsu ;
 74 dum vafer in Stygio disputat amne Charon.
 75 Varronisque tui, Nigidique exempla secutus,
 76 grammaticae haud spretas incipis ire vias.
 77 Carminis hinc numeros nostris depromis ab ausis,
 78 dignatus pueri verba referre senex.
 79 Quid loquar, ut sacros Mariani exhauriat amnes
 80 aegidius, verum dum canit ore Deum ?
 81 Aut apta ingratos taxet sub imagine mores
 82 qui super insultas spernit Asellus aquas ?
 83 Te juvenesque, senesque colunt praecepta ferentem,
 84 Parthenope spreto quae Cicerone legit :
 85 ex adytis quidquid Divum sapientia pandit ;
 86 et, Stagira, tui dogmata firma Senis :
 87 quid deceat fortemque virum ; quae principis artes ;
 88 largificas praestet quae dare dona manus :
 89 parendi leges quae sint, legesque loquendi :
 90 edat ut argutus lingua diserta sales :
 91 quid fortuna homini, quid det prudentia ; quantum
 92 immanes animos incitus ardor agat ;
 93 magnanimumque viri quae sint ad singula partes,
 94 sive colat pacem, seu fera bella gerat
 95 nec fugis astrorum causas aperire latentes,
 96 et Ptolemaeaei fata reposita poli.
 97 Salve, sancte Senex, vatum quem rite parentem
 98 praefecit terris Delius Ausoniis.
 99 Non te Lethaeae carpent obliviae ripae ;
 100 nec totum in cineres vertet avara dies.
 101 Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum
 102 Niliacas dabitur vincere Pyramidas.

103 Quid tibi victrices expectas, Umbria, palmas ?
 104 Moenibus has patriae rettulit ille meae.
 105 Ille suis longum studiis, et laude fruatur :
 106 me juvet in dominae consenuisse sinu.

ELEGIA DECIMA AD JOANNEM SANGRIUM, PATRICIUM NEAPOLITANUM
 DE SUO IMMATURO OBITU.

E1_10 v.1 Si me saevus amor patriis pateretur in oris
 2 vivere, vel saltem matre vidente mori ;
 3 ut, quae vix uno nunc sunt ingesta libello
 4 essent illa suis continuata locis :
 5 forsitan immites potuissem temnere Parcas,
 6 ductaque de pulla tristia pensa colo :
 7 nec me plebeio ferret Libitina sepulcro ;
 8 aut raperet nomen nigra favilla meum.
 9 Nunc cogor dulcesque lacus, et amoena vireta,
 10 Pieridumque sacros destituisse choros :
 11 nec pote, quae primis effudit Musa sub annis,
 12 emendaturo subdere iudicio.
 13 Sic heu, sic tenerae sulcis resecantur aristae :
 14 implumes nido sic rapiuntur aves.
 15 Proh, Superi, tenues ibit Syncerus in auras ?
 16 Nec poterit nigri vincere fata rogi ?
 17 At tu, quandoquidem Nemesis jubet, optime Sangri ;
 18 nec fas est homini vincere posse Deam :
 19 accipe concussae tabulas, atque arma carinae ;
 20 naufragique mei collige relliquias :
 21 errantesque cie quocumque in litore manes,
 22 taliaque in tumulo carmina caede meo :
 23 "Actius hic jaceo spes mecum extincta quiescit
 24 solus de nostro funere restat amor ".

ELEGIA UNDECIMA, IN MALEDICOS DETRACTORES

E1_11 v.1 Quid ruis in sacros, temeraria turba, poetas ?
 2 Saevaque mordaci proelia dente moves ?
 3 Desine sacrilega convicia fundere lingua ;
 4 desine ; pro populo stat Deus ipse suo.
 5 Quis novus in furias armat dolor ? Ite, profani,
 6 ite, nec immeritas conscelerate Deas.
 7 An monet hoc Stygiis immersus Scuccha lacunis,
 8 dum flens Eumenidum verbera torta timet ?
 9 Illum olim tinctae juverunt felle sagittae :
 10 nunc miserum facti poenitet usque fui.
 11 Parcite tam cari manes violare parentis,
 12 per stupra, et talos per cyathosque rogo.
 13 Ars sua quemque juvet : non vos Helicon subire,
 14 non fas virginei polluere amnis aquam.
 15 Scilicet hanc sumpto Joviani Musa cothurno

16 hauriat, et magno digna Marone sonet.
 17 Cui comes intactae lustrans sacraria silvae
 18 Altilius, docto pectore carmen hiet.
 19 Nec minus et Musae repetens monimenta jocosae
 20 Compater, argutos ingerat ore sales.
 21 Elysiumque hedera comtus florente capillos,
 22 rara, sed Aoniis concinat apta choris.
 23 Extendatque armis titulos Aquivivus avitos ;
 24 et doceat nostras cernere castra Deas.
 25 Ipse suae referat Cabanilius ardua Trojae
 26 moenia, et antiquos, Appula regna, lares.
 27 Quique velut tenera surgit novus arbore ramus
 28 Corvinus, quavis aure probanda canat.
 29 Et qui Pieriis resonat non ultimus antris
 30 Albinus, referat Principis acta sui.
 31 Tu quoque quid cessas doctis deflere querelis
 32 excidium patriae, culte Marulle, tuae ?
 33 Quique tot egregias animas, tot clara virorum
 34 ingenia enixu format, alitque suo ;
 35 nectat honorata Majus sua dicta corona,
 36 tamque pias ferulas, regia sceptrum vocet.
 37 Quin et rite tuos Genio Chariteus honores
 38 praebet, et festas concinat ante dapes.
 39 Aelius at blandae fretus dulcedine linguae,
 40 facunda totos conterat arte dies.
 41 Nec te jam pudeat venturo ostendere saeclo
 42 eloquii vires, Scala diserte, tui.
 43 Certent Socraticis Zenonis scripta libellis ;
 44 cujus apis vernos intulit ore favos.
 45 At tu Castaliis non inficiende choreis,
 46 Castalidos, Carbo, nunc cane regna tuae.
 47 Te quoque, quem gemina mulcet sapientia lingua,
 48 Parde, juvet studiis invigilare tuis.
 49 Atque alii, quorum doctas it fama per aures,
 50 extremo properent vincere fata die.
 51 Nos quoque, si magnus non aversatur Apollo,
 52 cantemus Nymphas, capripedesque Deos.
 53 Nam bene Thespiacas, livor licet audiat, undas
 54 novimus ; et dextro pressimus antra pede.
 55 At vos incautis sociis aconita parate ;
 56 et furtis miseris exstimulate domos :
 57 Oedipodisque modo, thalamos foedate paternos ;
 58 si modo dat certum vulgus habere patrem ;
 59 nocturnisque dolis agitate, et caedibus urbem ;
 60 perque fora infestam reddite, perque vias.
 61 Haec studia, has artes primis didicistis, ab annis,
 62 non Aganippeae tangere fila lyrae.
 63 Nam neque Calliope vobis, nec dexter Apollo
 64 Permisi sanctos exhibuere lacus :
 65 dira sed Alecto gemina comitata Sorore
 66 pocula caenoso de Phlegethonte tulit
 67 nimirum hinc nigro mores, et carmina tabo
 68 pallent ; et foedo livor in ore fedet.
 69 Fallor, an hos nobis misit gravis Aetna Cyclopa :
 70 mitis et hanc sentis tu quoque terra luem ?

71 Heu, mea Parthenope, quae te contagia laedunt ?
 72 Talia tu numquam gignere monstra soles.
 73 Dii patrii, quorum monitis huc advena classis
 74 appulit, Euboicas constituitque domos :
 75 litoribus talem nostris avertite pestem ;
 76 moenia felici si posuistis ave.
 77 Vosque, Umbrae insontes, quas jam letale venenum
 78 ante diem Stygias ire coegit aquas :
 79 ultrices huc ferte faces ; fumosque sequaci
 80 auctores vestrae sollicitate necis.
 81 Et vos, o vatum certissima Numina, Musae,
 82 numina carminibus non violanda meis,
 83 parcite, si vestras nunc primum laesimus aures :
 84 justa lacessita sumpsimus arma manu.

ELEGIARUM LIBER II

ELEGIA PRIMA, AD ALFONSUM, FERDINANDI FIL. ARAGONEUM, SICILIAE REGEM.

E2_01 v.1 Alfonse, invicto laus accessura Parenti,
 2 Hesperios inter non leve nomen avos :
 3 quid me laudatos Parnassi mittis ad amnes ?
 4 Obruitur largo flumine nostra sitis.
 5 Gloria Virgilio est, currus, atque arma referre :
 6 Nasonis medio fata in amore mori.
 7 Battiaden docti sectatur musa Propertii :
 8 Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
 9 Passeris exsequias fracto canit ore Catullus.
 10 Tu Nemesim laudas, culte Tibulle, tuam.
 11 Omnia non uno desudant esseda campo :
 12 noster in exiguo tramite currit equus.
 13 Si me Castalia docuisset Phoebus in umbra ;
 14 oraque Gorgonea nostra rigasset aqua ;
 15 meque vel Aeschyleo donasset Musa cothurno ;
 16 et foret in nostro grandior ore sonus :
 17 non ego Phasiacae canerem certamina pubis,
 18 aequora non prima sollicitata rate ;
 19 non conjuratos subvertere Pergama reges
 20 non Trojae profugos post duo lustra Deos ;
 21 Thebanasve acies, Fratrumque immitia bella,
 22 saevaque discordi funera rapta pyra :
 23 teque, tuosque meo celebrarem carmine : nec me
 24 pignore tam grato dulce gravaret onus.
 25 Nam canarem victosque duces, Hispanaque regna,
 26 horridaque a proavis bella peracta tuis ;
 27 demissumque genus antiqua ab origine Regum ;
 28 quantaque magnanimi gesta feruntur avi,

29 dum Libyae tractus, veteres Carthaginis arces,
 30 Lotoghagum dites et populatur agros ;
 31 reginae accitu mox Itala regna secutus,
 32 Chalcidicasque arces, Parthenopemque subit.
 33 Sed quoniam instabiles animos muliebria versant
 34 pectora ; suspectos deserit ille lares ;
 35 ac patriae petit arva suae, nec longa morantus
 36 ultores rursus ducit in arma deos ;
 37 obsessamque intrat Nymphis comitantibus urbem,
 38 qua per operta vagus labitur antra liquor.
 39 Aurea quin illo dicunt sub rege fuisse
 40 saecula felices, qui meruere frui.
 41 Quid Patris invictas acies, quid concita dicam
 42 classica per campos, Daunia terra, tuos
 43 disjectosque duces, populataque castra, neque ullis
 44 clara magis Regum proelia temporibus.
 45 O mihi supremos si Parca indulserit annos ;
 46 quanta canam ! Quantus vox mea plausus erit !
 47 Tunc ego Maeonios ausim perrumpere fontes,
 48 saevaque terribili bella tonare tuba.
 49 Utque alios sileam ; tua fortia facta referrem ;
 50 proveherentque animos tot monumenta meos ;
 51 ut puer extremas regni percurreris oras,
 52 lustratis referens praemia litoribus :
 53 et male pacatos sedaveris ante tumultus,
 54 quam patriis hostes finibus expuleris.
 55 Primus honos, forti defensos milite Locros
 56 servasse, et muros, urbs Meliboea, tuos.
 57 Nec non Marte pari summas Caulonis in arces
 58 venisse, inque suo templa sacrata jugo ;
 59 templa Deae, vastis late quae praesidet undis,
 60 una Jovis conjux fida, sororque Jovis.
 61 Testis Chratis erit, testes Sybaritides undae,
 62 oraque, quae fluctus prospicit Ionios.
 63 Adde, quod Etruscos oppleveris agmine campos ;
 64 et tibi captivis fluxerit Arnus aquis :
 65 totque pharetratas, Turcarum corpora, turmas
 66 Ausoniis dederis Manibus inferias.
 67 Gratia Diis Italis ; praeruta Ceraunia, et arces
 68 Buthroti, nostras pertimere minas
 69 captivumque ducem, fractosque adspeximus arcus
 70 detulit huc domita quos tua classis aqua.
 71 Hinc Ligurum furias, compressaque jurgia ferro,
 72 Gallicaque in partes oppida versa duas.
 73 Ipse ego quae vidi, referam : scit Tuscula tellus,
 74 quaque cadit summo lympha Aniena jugo.
 75 Nam duce te, Latios ferro dum subruis agros ;
 76 tempora militiae prima fuere meae.
 77 Bis Nomentanas, bis magni Tiburis arces
 78 vidimus ad nostros projicere arma pedes :
 79 quum jam sit media trepidatum pene Suburra ;
 80 et Capitolino vota parata Jovi.
 81 Nec semel, ut fatear, Collinae ad limina portae
 82 fregimus, armatos reppulimusque duces.
 83 Parce tamen, veneranda Parens, si justa secutus

84 signa sub Alfonso : rex erat ille meus.
 85 Lanuvium infelix, fatis contraria nostris
 86 terra ; potes certas tu variasse vices.
 87 Nam quod ad hostiles flexit Victoria partes :
 88 Fortunae magis hoc, quam fruit artis opus.
 89 Ille sed Eridani ripas non fractus in altas
 90 contendens, carae regna Sororis adit :
 91 metatusque locum castris, Insubria passim
 92 fudit, et Euganeis agmina missa jugis.
 93 Dicite Io, populi ; turmas spectastis ovantes ;
 94 et per victrices foedera juncta manus.
 95 Ipse quoque haud sileat quos cedere Farfarus hostes
 96 risit, et exutum vertere terga ducem.
 97 Heus ubi nunc, Roberte, tuae vocesque, minaeque,
 98 Campani peteres quum tibi jura soli ?
 99 Jam nostros Reges, jam sternere cuncta parabas :
 100 nunc fuga degeneres arguit ecce metus.
 101 Hortarisque tuos dimittere signa maniplos,
 102 heu pudor, et longae praemia militiae.
 103 Hos tamen ille pius, quamvis diversa secutos
 104 Alfonsus miti fovit, et auxit ope.
 105 Macte animo custos hominum, macte optime Regum,
 106 Ausoniae tu Sol, tu pater unus ades.
 107 Quid memorem pacisque artes, bellique labores,
 108 perpetuumque animi tempus in omne decus ?
 109 Sed me formosae deterrent jussa puellae,
 110 ne possim tantis invigilare choris :
 111 et vetat asper Amor dulces contemnere curas ;
 112 cogit et invisio subdere colla jugo.
 113 Nec prosunt lacrimae, nec verba precantia mortem :
 114 ille suas in me concutit usque faces.
 115 Quare si nostri veniet tibi nuntia leti
 116 fama, triumphales jam prope siste rotas :
 117 atque haec ad cineres maerens effare sepultos :
 118 saevitia dominae rapte Poeta jaces.

ELEGIA SECUNDA, IN FESTO DIE DIVI NAZARII MARTYRIS,
 QUI POETAE NATALIS EST.

E2_02 v.1 Ecce mihi totum lux exspectata per annum
 2 jam redit, Aoniae sertae novae Deae,
 3 haec me vitales genitum produxit in auras ;
 4 jussit et erectum tollere ad astra caput.
 5 Nunc mihi purpureis aram cumulate hyacinthis :
 6 cingite et intexta limina nostra rosa.
 7 Sic etenim coluisse decet Geniumque, Laresque :
 8 ferre coronato tura, merumque foco.
 9 Tuque apio innexos dudum acceptura poetas,
 10 splendida solennes instrue mensa dapes.
 11 Hic mihi puniceo Pontani Musa cothurno
 12 incipiet posito carmen hiare mero :
 13 naturaeque vias, tenerique exordia mundi

14 proferet ; et certa cuncta obitura die.
 15 Crassus at aeterno frondis redimitus honore,
 16 solvat Pieriis ora rigata modis :
 17 et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,
 18 ostendatque Atavi regna opulenta mei :
 19 regna male ad feros heu perventura nepotes ;
 20 dum versat varias Sors inimica vices.
 21 Altiliusque novos Superis laturus honores,
 22 Pindarica feriat carmina docta lyra.
 23 Sforciadam mox dicat, Aragoniosque hymenaeos :
 24 jure quibus cantus aequet, Homere, tuos.
 25 Nec gemat exsilium Spartani Musa Marulli,
 26 ventura ad nostras ingeniosa dapes :
 27 verba sed antiqui reddat, numerosque Lucretii,
 28 dum magnis Divos laudibus accumulatur.
 29 Adde tuos, Puderice, sales ; adde inclyta Patris
 30 eloquia ; adde animo tot bona parta tuo.
 31 Jamque Panhormitae lusus, et scripta recense,
 32 et Jovianaeae tempora amicitiae.
 33 Hos inter meritis rediens Aquivivus ab armis,
 34 prodat honoratae praemia militiae :
 35 atque chori princeps docti argumenta Plutarchi,
 36 cumque suis referat dogmata principiiis.
 37 Ipse autem haud dubitet Cabanilius acta referre
 38 vel sua, vel magno juncta Parentis Avo.
 39 Nec Phoebus minus ipse suo, quam Marte probatus,
 40 Phocaico pexas tingat in amne comas.
 41 Tu quoque, quem juvenem veneror, dulcissime Garlon,
 42 incipe jam docta plectra movere manu :
 43 allisasque tuas mihi concine, dum vaga Lunam
 44 sidera per tacitum nocte sequuntur iter.
 45 Talibus auspiciis geniales ducere caenas,
 46 Thespiadumque modis concelebrare juvat.

ELEGIA TERTIA, CALENDIS JANUARIIS, AD FUSCUM.

E2_03 v.1 Exoritur lux alma, caput Sol detegit aureum ;
 2 qui toties nostros exhilaravit avos.
 3 Exoritur : redit ecce anni melioris origo.
 4 Quisquis ades, sancta concipe voce preces.
 5 Cingatur de more sacris fastigia templis,
 6 quae vaga Sebethi Nais ab amne legit.
 7 Ipse sui Janus praepandat limina templi :
 8 cui geminum liquido stillet odore caput.
 9 Illius et castas fument pia tura per aras :
 10 atque focos supra stet, videatque suos :
 11 nunciet et tibi, Fusce, novos virtutis honores.
 12 Jam reor haec animum vota fovere tuum.
 13 Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
 14 quas volvit flavi lymphas superba Tagi.
 15 Nec magis uberibus quidquid sibi colligit arvis
 16 Medus, et assiduo sole perustus Arabs.
 17 Justa precor : Latiis utinam discedat ab oris

18 hostis, et indecori victus oberret equo.
 19 Victus Hydruntinas cogatur linqere terras ;
 20 et plangat nostram sanguinolentus humum.
 21 Haec veniet lux, Fusce, tuis laetissima votis ;
 22 quum Pax optatas ducet in urbe moras.

ELEGIA QUARTA, IN MORUM CANDIDAM.

E2_04 v.1 Nunc, Erato, virides capiti subnecte corymbos,
 2 profer et auratae fila canora lyrae.
 3 Arboris umbriserae casus referamus acerbos.
 4 Non erat haec nostro fabula nota solo.
 5 Audiat, et molli cantantes protegar umbra
 6 [LACUNE]
 7 Olim Baianis fuerat pulcherrima silvis
 8 naïas, errantes figere docta feras.
 9 Quam liquidus clausis Lucrinus saepe sub antris
 10 optavit lateri jungere posse suo.
 11 Nec semel illius pharetram laudavit, et arcum
 12 pastorum incultis fistula carminibus.
 13 Testes Cumaeae, testes Linternides undae,
 14 Sanctaque Gauranae Numina Hamadryades,
 15 illam Silvanos, Panasque odisse bicornes,
 16 et quoscumque colit silva, nemusque Deos.
 17 Sed quid fata parant ? Solitis Morinna redibat
 18 montibus hoc illi nomen, et omen erat :
 19 quum subita caelum texit caligine nimbus ;
 20 et multa canam grandine fecit humum.
 21 Illa hiemem fugiens, diversa per arva cucurrit,
 22 tectata caput sertis, grandine tectata caput.
 23 Vallis erat prope sulfureos male pervia montes,
 24 candida quam Graio nomine signat humus.
 25 Hanc super excisis pendebat cautibus antrum,
 26 agricolum hirsutis nota domus gregibus.
 27 Pugnantes huc forte coegerat impiger hircos
 28 semideusque caper, semicaperque Deus.
 29 Quem procul ut vidit Nymphæ, sic pectore toto
 30 insequitur tales et jacit ore sonos :
 31 "Quo properas, ah dura, measque ingrata querelas
 32 despicias ? Aspectus ne fuge, Nympha, meos.
 33 Mecum capreolos, mecum venabere damas.
 34 Parebit jussis hoc pecus omne tuis.
 35 Nil est, quod fugias : mihi, crede, recentia semper
 36 pocula de niveo sagina lacte madent.
 37 Semper picta rosis, semper contexta ligustris
 38 de nostro poteris munera ferre sinu."
 39 Dixit. At illa volans celeres praevertitur auras,
 40 imbrem nihil motos impediende gradus.
 41 Jamque petens tristesque lacus, sterilemque paludem,
 42 consitaque arbustis non minus arva novis,
 43 adspicit exesi longe sub faucibus antri
 44 obscurum caeco pulvere noctis iter.
 45 Huc, tamquam in latebras, se conjicit. Haud minus ille

46 insequitur praedae tractus amore suae.
 47 Jamque patens caelum rursus, Solemque videbat ;
 48 liquerat et montem post sua terga cavum ;
 49 dextra pontus erat, praeruptaque saxa sinistra :
 50 et jam defessam, jamque premebat amans.
 51 Protinus exclamans, "Fer opem mihi, Delia", dixit :
 52 oraeque supremo diriguere sono.
 53 Attulit auxilium Nymphae Dea ; seque vocanti
 54 praebuit : illa cadens sponte recumbit humi :
 55 fitque arbor subito : morum dixere priores ;
 56 et de Morinna nil nisi nomen habet.
 57 Pes in radicem, in frondes ivere capilli ;
 58 et quae nunc cortex, caerulea vestis erat.
 59 Brachia sunt rami ; sed quae nitidissima poma,
 60 quas male vitasti, Nympha fuere nives.
 61 Flevit Misenus, mutatam flevit Avernus ;
 62 fontibus et calidis ingemuere Deae.
 63 Quin etiam flevere suis Sebethides antris
 64 Naiades et passis Parthenopea comis.
 65 Sed tamen ante alios lacrimas in stipite fudit
 66 Faunus, et haec tristes addit ad inferias :
 67 inter silvicolas o non ignota Sorores,
 68 nunc Morus, duris candida corticibus :
 69 vive diu, et nostros semper tege fronde capillos ;
 70 cedat ut ipsa tuis pinus acuta comis.
 71 Tu numquam miserae maculabere sanguine Thysbes ;
 72 immemor heu fati ne videare tui.
 73 Tu, nec fata negant, niveis uberrima pomis,
 74 his olim stabis frondea limitibus :
 75 et circum puerique canent, facilesque puellae :
 76 ducentes festos ad tua sacra choros.
 77 Hactenus insigni cecinit testudine Musa ;
 78 Aoniasque volans laeta revisit aquas.

ELEGIA QUINTA, AD BACCHUM.

E2_05 v.1 Bacche bimater, ades : sic sint tibi nexa corymbis
 2 cornua, sic nitidis pendeat uva comis :
 3 seu te nunc Thebae, seu te nunc Ismarus horrens,
 4 sive habet umbrosis Naxos amica jugis.
 5 Huc, pater, huc propera frondenti candide thyrsos ;
 6 huc potius gressus dirige, Bacche, tuos.
 7 Sed pallam jam pone gravem, pictosque cothurnos ;
 8 et musto teneros tu quoque tinge pedes.
 9 Tecum etiam Dryadesque deae, Satyrique bicornes
 10 adsint, et calamos, concavaque aera sonent ;
 11 raucaque subductis percurrant tympana palmis,
 12 Bassaridum fuis turba verenda comis.
 13 Quas male festinans Silenus pone sequatur,
 14 et, procul ut maneant, subsideantque, roget.
 15 Tum secum auriti fatum deploret aselli,
 16 incedet ferula dum titubante Senex.
 17 At deus hortorum, cui vertice fixa rubenti

18 canna tremit, saevas falce repellat aves.
 19 In medio crater caelato maximus auro
 20 spumet inexhaustum, Lesbia dona, merum :
 21 et circum de more tuas cava tibia laudes
 22 intonet, appositas concelebretque dapes.
 23 Ipse ego perque vias urbis, perque omnia passim
 24 compita, perpetuo sacra colenda feram.
 25 Ipse Gigantaeo referam memorata triumpho
 26 nomina, et euantes, orgia laeta, choros.
 27 Nec sileam fuscas acies, Gangetica regna,
 28 gestaque odoratis proelia litoribus.
 29 Mox thalamos, Ariadna, tuos, taedasque jugales,
 30 quaeque nitet medio fixa Corona polo.
 31 Jamque pios ritus, indictaque sacra frequetans,
 32 instituam virgas fronde virente tegi :
 33 incedamque tuas vates tam magnus ad aras,
 34 quam nec Virgilius, quam nec Homerus erat.
 35 Tu mihi, sancte pater, mordaces exime curas :
 36 nubilaque annoso pectora solve mero.
 37 Tu mihi securos adige in praecordia somnos :
 38 afflatuque juva lumina fessa tuo.
 39 Scimus enim, quantos ineunte aetate labores
 40 pertuleris, quantos fulminis igne metus.
 41 Infelix Semele, quid munera poscis amantem,
 42 quae tibi, quae nato sunt nocitura tuo ?
 43 Posce Jovem, quae digna tuis sint praemia votis,
 44 posce : feres votis praemia digna tuis.
 45 Non tibi silviculum proles de plebe deorum,
 46 sed cui sint Phoebus, Mercuriusque pares ;
 47 sed quam Saturnus non dedignetur ab alto
 48 noscere ; quam laeto Jupiter ore probet.
 49 Salve, cara Patri soboles, mitissime Divum :
 50 salve, hominum requies, laetitiaeque parens :
 51 et faciles, si justa peto, mihi prospice Musas :
 52 et me pacato numine dexter adi.

ELEGIA SEXTA, AD LUDOVICUM MONTALIUM SYRACUSANUM,
 CAROLI CAES. SCRINII MAGISTRUM.

E2_06 v.1 Mons altus nomen clarum tibi, sive nivosis
 2 nascenti dederit fertilis Aetna jugis ;
 3 seu lustrata vagis Nebrodis saxa Napaeis,
 4 sive Dionaeo Numine clarus Eryx ;
 5 seu quod Olympiaco reptaris vertice ; teque
 6 pertulerit placido blanda Arethusia sinu :
 7 nobile frondoso defluxit nomen Olympo,
 8 Elei referens sacra vetusta Jovis.
 9 Seu mage quod celsas puer exsuperaveris Alpes ;
 10 dum pater in laudes Belgica terra tuas :
 11 Oceanique petis non explorata Britanni
 12 murmura, nec canae Tethyos antra times :
 13 exhaustos praeferret ut illa aetate labores,

14 aeria nomen venit ab Alpe tibi.
 15 Quidquid id est, quicumque hujus tibi nominis auctor
 16 mons, et inaccessi verticis asperitas :
 17 non mores, non facta, sed altae mentis acumen
 18 vidit, et ingenii praevia signa tui.
 19 Nam licet ipse animo nubes, et sidera vincas ;
 20 cunctaque sint sensu pene minora tuo :
 21 non te per duros aditus, rupesve fragosas,
 22 sed per floriferum vallis adimus iter ;
 23 vallis, perpetuo quam vestit gramine rivus ;
 24 et quam vicini litoris aura fovet.
 25 Hoc est, hoc, mihi crede, Deos aequare merendo :
 26 hoc est aeterni sceptrum tenere Jovis.
 27 Caetera mortales inter peritura labores
 28 desere, et hoc unum vita sequatur opus.

ELEGIA SEPTIMA, AD JUNIANUM MAJUM PRAECEPTOREM.

E2_07 v.1 Quum tibi Baianae spectantur ab aequore Nymphae
 2 stagnaque vicinis hospita litoribus ;
 3 qua vetus Herculeos perduxit semita tauros,
 4 longius excluso concita claustra mari ;
 5 quaque jacet Baulos inter lucumque Sibyllae,
 6 et Prochytae rectum per juga tendit iter :
 7 nos hic, ut nosti, durae parere puellae
 8 cogimur, et tristes ducere in urbe moras.
 9 Nec tamen aut studiis animum intendisse severis,
 10 aut prodest sanctas excoluisse Deas.
 11 Quumque tot unanimes dederint mihi fata sodale ;
 12 auxilium, nemo est, qui mihi rite ferat.
 13 Instat saevus Amor, reficitque in cote sagittas ;
 14 nec patitur presso colla movere iugo.
 15 Et licet assiduis tabescant pectora curis :
 16 quaerimus, unde queant tanta venire mala.
 17 Atque utinam tristes Lachesis mihi finiat annos ;
 18 claudat et aetatis tempora dura meae :
 19 aut aliquis, saevi quae sit medicina furoris,
 20 non vanus nostra cantet in aure Deus.
 21 Sed jam laurigeris cessant oracula Delphis :
 22 mutaque Cumaeae Virginis antra silent.
 23 Nec Pan Maenalia reddit responsa sub umbra :
 24 nocte licet pastor viscera libet ovis.
 25 Nec mihi Chaonias spes est audire columbas ;
 26 cornigerumque pudet fata referre Jovem.
 27 Oblitasque loqui jampridem Graecia quercus
 28 mirata est posito conticuisse Deo.
 29 At tibi venturos, Mai, praedicere casus
 30 fas est, et mites consuluisse deos.
 31 Nec tantum aut arae fumos, aut nuntia sentis
 32 fulgura, sed Stygiis somnia missa locis ;
 33 somnia, quae miseram perturbant saepe quietem ;
 34 dum mens incertis pendet imaginibus.
 35 O quoties per te vanum posuisse timorem

36 me memini, et laetos continuasse dies.
 37 O quoties, trepidus quum non spernenda putarem,
 38 in nostrum cave damna futura caput.
 39 Saepe, meae tibi quum narrassem visa puellae ;
 40 dixisti, certos haud procul esse metus.
 41 Saepe illam madidos lustrare in flumine crines
 42 jussisti, et misto solvere farra sale.
 43 Quod si olim terris talem te fata dedissent,
 44 sprevisset Tuscos Martia Roma viros.
 45 Nam te quis melius calidas deprendere fibras,
 46 consulere aerias aut potuisset aves ?
 47 Illa triumphatum regeret nunc legibus orbem ;
 48 nec foret in cineres obruta pene suos.
 49 Nec fera vidisset Cannensis funera pugnae ;
 50 aut aquilas Parthos tam male ferre duces.
 51 Scipiadum patriis habitarent sedibus Umbrae :
 52 tanta nec Hispanum conderet ossa solum.
 53 Te, duce veridicae patuissent scripta Sibyllae,
 54 non intellecto quae nocuere deo.
 55 Fortunate Deum interpres, quem sidera norunt,
 56 cui Superum mentes explicuisse licet.
 57 Non te letali tetigit Puer improbus arcu :
 58 quamvis et dominos implicet ille Deos.
 59 Nec tibi securos rumpunt suspiria somnos
 60 fallaces Veneris despicias insidias.
 61 At nos incertis caeci jactamur in undis
 62 ducimus et nullo tempora consilio.
 63 Et quisquam mihi nunc longos optaverit annos.
 64 Quum videat vitae taedia tanta meae ?
 65 Non me Sisyphio superent impulsa labore
 66 saxa ; nec Infernis dolia adacta vadis.
 67 Et Tityi rostro cedet mihi vultur obunco,
 68 pomaque Lethaeis risa sub arboribus.
 69 Vos igitur, qui me victum jam fletis, amici,
 70 sic mea compositis caedita busta notis :
 71 "Actius hic situs est cineres gaudete sepulti
 72 jam vaga post obitus umbra dolore vacat".

ELEGIA OCTAVA, IN DOMINAE NATALEM, AD JUNONEM

E2_08 v.1 Junoni fer sacra, novas lege, Musa, coronas :
 2 natalis Dominae jam mihi festus adest,
 3 ipsa sed in primis solennes indue cultus :
 4 et mihi purpurea tempora cinge rosa.
 5 Utque aliquid gratas divae meditemur ad aras,
 6 affer inauratae garrula plectra lyrae.
 7 Tu quoque, vita, tuos auro subnecte capillos :
 8 plurimaque in niveo pectore gemma micet.
 9 Haec mihi te, mea lux, seros promisit in annos,
 10 haec mihi te certam jussit habere dies.
 11 Quanta mihi hac primum fulserunt gaudia luce
 12 quantus in hoc uno tempore venit honos !
 13 O mihi Erythraeis merito signanda lapillis :

14 o mihi delicias inter habenda meas.
 15 Quisquis ades, bona verba, et laetos edite cantus ;
 16 libaque de Siculo dulcia melle date.
 17 Alba mihi vestis nullo violata veneno
 18 adsit ; et in geminos defluat apta pedes.
 19 Ante aram viridi texant umbracula quercu
 20 formosis Dryades, rustica turba, comis.
 21 Phoebus odorata circum tegat atria lauro :
 22 at myrto duplices tu, Cytherea, fores.
 23 Ipsa Arabum merces Niseia turba ministret :
 24 Lenaeusque ferat Naxia vina pater.
 25 Omnia sint laetis operata ex ordine sacris :
 26 et caelum niveis constrepat alitibus.
 27 Magna parens Juno, centum comitata ministris
 28 huc ades ; et votis annue, Diva, meis.
 29 Vos quoque, per vacuum quae luditis aera, Nymphae,
 30 cingite felici nubila summa choro.
 31 Scilicet eventus haec sint bona signa futuri :
 32 haec eadem plenae nuntia laetitiae.
 33 Ipse ego vestra sequar jucundo gaudia plausu ;
 34 et peragam varios ore, manumque modos :
 35 quin etiam sertis, et ture calentibus aris,
 36 excipiam sancta Numina vestra die.
 37 At tu, Natalis, nullos non fauste per annos,
 38 semper honorata luce serenus eas.
 39 Quodque opto, innumeras (siquid prece posse putamur)
 40 Cumaeae vincas vatis Olympiadas.

ELEGIA NONA, AD RUINAS CUMARUM, URBIS VETUSTISSIMAE.

E2_09 v.1 Hic, ubi Cumaeae surgebant inclyta famae
 2 moenia, Tyrreni gloria prima maris ;
 3 longinquis quo saepe hospes properabat ab oris,
 4 visurus tripodas, Delie magne, tuos ;
 5 et vagus antiquos intrabat navita portus,
 6 quaerens Daedaliae conscia signa fugae :
 7 (credere quis quondam potuit, dum fata manebant ?)
 8 Nunc silva agrestes occulit alta feras.
 9 Atque ubi fatidicae latuere arcana Sibyllae,
 10 nunc claudit saturas vespere pastor oves.
 11 Quaeque prius sanctos cogebat curia patres,
 12 serpentum facta est, alituumque domus.
 13 Plenaque tot passim generosis atria ceris,
 14 ipsa tua tandem subruta mole jacent.
 15 Calcanturque olim sacris onerata trophaeis
 16 limina : distractos et tegit herba Deos.
 17 Tot decora, artificumque manus, tot nota sepulcra,
 18 totque pios cineres una ruina premit.
 19 Et jam intra solasque domos, disjectaque passim
 20 culmina saetigeros advena figit apros.
 21 Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipse carinis :
 22 praevia nec lato missa columba mari.
 23 Et querimur, cito si nostrae data tempora vitae

24 diffugiunt ? Urbes mors violenta rapit.
 25 Atque utinam mea me fallant oracula vatem :
 26 vanus et a longa posteritate ferar.
 27 Nec tu semper eris, quae septem amplecteris arces :
 28 nec tu, quae mediis aemula surgis aquis.
 29 Et te (quis putet hoc ?) Altrix mea, durus arator
 30 vertet ; et Urbs, dicet, haec quoque clara fuit.
 31 Fata trahunt homines : fatis urgentibus, urbes,
 32 et quodcumque vides, auferet ipsa dies.

ELEGIA DECIMA, MALA PUNICA.

E2_10 v.1 Quid miser externas perquiris navita gentes ?
 2 Et tam longiquo gurgite quaeris opes ?
 3 Nec te ventorumque minas, pelagique procellas,
 4 non piget ignotae damna subire viae ?
 5 Adspice, quam tenui velemus cortice gemmas.
 6 Jam tibi, quidquid habent litora rubra, damus :
 7 seu vis purpureos roseo fulgore hyacinthos :
 8 infensam Baccho sive amethyston amas :
 9 ardentes seu quae torres imitantur, et ignes :
 10 seu mage diluto lumine chrysolithos.
 11 Sed rude divitias extollit vulgus inanes :
 12 nec meminit, quantis sit caput inde malis.
 13 Divitiae fera bella viris, letumque tulerunt.
 14 Nam prius aeterna pace vigebat humus.
 15 Divitiis natoque pater, natusque parente
 16 caeditur, et caro fratre verenda soror.
 17 Nec tantum saevae tractant aconita novercae :
 18 sed jugulat partus mater avara suos.
 19 Adde, quod et gemmae solo fulgore probantur ;
 20 adscitusque illis quaeritur arte decor.
 21 At nobis natura oculos tardare tuentes,
 22 et dedit, arenti pellere ab ore sitim.
 23 Nec nostrae populos armant in proelia gemmae ;
 24 nec suadent magnos clam violare Deos.
 25 Sed semper placidis visunt convivium mensis :
 26 stant ubi jucundo pocula plena mero.
 27 Illic nos tenerae vir porrigit ipse puellae,
 28 porrigit et cupido fida puella viro.
 29 Pacis opus sumus, et pacati munus amoris ;
 30 quod capit a Satyro Nais amata suo.
 31 Nec temere, Infernis quum nos libasset in hortis,
 32 noluit ad Matrem nata redire suam.
 33 Nos quoque, dum Libycos errat Pomona per agros,
 34 obstupuit pleno fracta rubere sinu :
 35 ac rarum mirata decus, mirata liquorem,
 36 in sua de patrio transtulit arva solo.
 37 Ergo Puniceae laus haec, et gloria silvae,
 38 vincere gemmiferi lucida dona maris ;
 39 pallentique graves depellere corpore morbos ;
 40 aegraque Paeoniis ora levare modis.
 41 Quod nec Erythraei praestabunt litora ponti,

42 non opibus pollens Indica terra suis.
 43 Tu vero, duplici fulgent cui tempora lauro,
 44 militiae, et sacri dux, Aquivive, chori :
 45 accipe nos, laudum contentus luce tuarum :
 46 muneraque invisae despice luxuriae :
 47 et seu carminibus, seu delassaberis armis ;
 48 diluat exundans haec tibi gemma sitim.

ELEGIARUM LIBER III

ELEGIA PRIMA, AD FEDERICUM, FERDINANDI FIL. ARAGONEUM, SICILIAE REGEM.

E3_01 v.1 Ergo ego fallaci tantum servire puellae
 2 natus, et adverso semper amore queri ?
 3 Nec me Pieria spectabit Phoebus in umbra
 4 inter certantes carmina ferre choros ?
 5 Qua densos Helicon saltus, collesque virentes
 6 pandit ; et Aonidum perluit antra liquor ;
 7 dispositaeque jugis intexuntserta Puellae ;
 8 pendentesque sonant per cava saxa lyrae.
 9 Jam libet intactis haurire e fontibus undam ;
 10 et lustrare sacrum, qua via nulla, nemus.
 11 Ardua sunt tentanda : novas en, carmina, vires
 12 sumite : per durum gloria anhelat iter.
 13 Nunc opus est alia crinem compescere fronde :
 14 nil mihi cum sertis, Bacche jocose, tuis.
 15 Ipse audax virides Parnassi in vertice lauros
 16 decerpam, aut silvis, Pinde canore, tuis.
 17 Ipse lyram nullo percussam pollicis ictu
 18 suspendam ex humeris, praemia rara, meis.
 19 Non ego nunc molles meditor lascivus amores :
 20 nec jacio ad surdas carmina blanda fores.
 21 Major ad heroes me sublevat aura cothurnos
 22 major et in nostro personat ore Deus.
 23 Laetus ades, Federice : tuas ex ordine laudes
 24 exsequar : auspiciis fama petenda tuis.
 25 Nam quamquam antiquis Regum bene fulta triumphis
 26 stat domus ; et tantis se tibi jactat avis :
 27 majorum tua non titulis innixa recumbit
 28 gloria, nec priscis gestit imaginibus :
 29 sed certat magnos virtus anteire parentes,
 30 aeternum et vera laude parare decus.
 31 Nec tua facta olim titulo breve marmor habebit.
 32 Immensum magni carminis illud opus.
 33 Seu te quis teneris puerum miratus ab annis,
 34 aetatis referat tempora prima tuae :
 35 seu casus rerum varios, duosque labores,
 36 exhausta et saevo proelia Marte canat.
 37 Egressum vix dum cunis Aeneia nutrix
 38 sensit, et adventu mota repente tuo est :

39 terque Deos venerata, caput ter sustulit urna ;
 40 et tandem Phrygio lingua voluta sono est :
 41 En iterum, Sol magne, meae post diruta Trojae
 42 Pergama, post Latios spes mihi surgit avos.
 43 Hac aetate vagi quondam per prata Scamandri,
 44 Aenean vidi ludere saepe meum.
 45 Nec tu major eras, quum jam post fata Creusae
 46 reptares gremio, pulcher Iule, meo ;
 47 certaresque jocis curas mihi demere aniles,
 48 deducens blandas nostra per ora manus,
 49 his tamen auspiciis Albanæ ad sidera turres
 50 crevere, et rerum maxima Roma caput.
 51 Hinc Decios, Fabiosque, hinc pectora dura Catones
 52 vidimus, et falces, Brute severe, tuos.
 53 Vidimus et ductos non uno ex hoste triumphos,
 54 auctaque Julæis stemmata Caesaribus.
 55 Ingredere o, felixque subi pede nostra secundo
 56 moenia ; propensos et venerare Deos.
 57 Ingredere ; Antiphatae pollens tibi regia fervit,
 58 et Laestrigonio limina tuta metu.
 59 Sit Jove Creta potens, sint clari ab Apolline Delphi ;
 60 laudet Amyclaeos Taenaris ora duces.
 61 Alciden, Bacchumque ferant ad sidera Thebae :
 62 terra rudimentis nostra beata tuis.
 63 Nam te, dum rapidos arcet de finibus hostes ;
 64 ardua magnanimus misit in arma Pater.
 65 Auspice te, nostrae nullis incursibus arces,
 66 succumbent nullis litora nostra minis.
 67 Sed bene habet, cessere metus, cessere pericla :
 68 Barbarus hostiles ad sua vertit equos.
 69 Jam juga, jam lati respirant undique campi :
 70 nec tuba veliferas concitat ulla rates.
 71 Tu tamen ad patrios revocabere victor honores,
 72 maternosque sinus, Parthenopemque petes.
 73 Mox Sallentinos ibis metator in agros,
 74 qua secat Oebalia culta Galesus aqua.
 75 Sed quo, Livor edax, non irruis ? Ecce repente
 76 fata jubent longas te procul ire vias ;
 77 Romanumque patrem, sacrasque invisere sedes,
 78 in primis magnos promeruisse Deos.
 79 Tum pontes, arcusque ducum, delubra, viasque,
 80 cumque suis cernes structa theatra foris.
 81 Interea Vaticanas numerare per aedes
 82 tot signa artificum, tot monumenta licet.
 83 Mox Veios, veteresque Umbros fortesque Sabinos
 84 transgresso, Hadriacum stat superare latus,
 85 Aemiliaeque domos, Apenninumque nivalem,
 86 et Phaetonteo proxima regna Pado.
 87 Quis sumtus, Leonora, tuos, quis publica dicat
 88 munera, Atestinis edita Principibus ?
 89 Jam veteres superas, dives Ferraria, ludos ;
 90 aurea dum celeri praemia ponis equo ;
 91 effigiesque Deum, spectandaque signa per aras
 92 exstruis, et variis pegmata celsa locis.
 93 Quis rursum Venetae miracula proferat Urbis ?

94 Una instar magni quae simul orbis habet.
 95 Una Italum Regina, altae pulcherrima Romae
 96 aemula, quae terris, quae dominaris aquis,
 97 Tu tibi vel reges cives facis. O decus, o lux
 98 Ausoniae, per quam libera turba sumus :
 99 per quam barbaries nobis non imperat ; et Sol
 100 exoriens nostro clarius orbe micat.
 101 Proxima sunt, Gonsaga, tua spectacula terrae,
 102 donaque per magnos ante parata duces.
 103 Mantua queis, largoque exultat Mincius ore,
 104 ausus spumiferum tollere ad astra caput.
 105 Mincius aeterni sacrum geniale Maronis ;
 106 cui cedit flavo lucidus amne Meles.
 107 Hinc populos, Ticine, tuos spectare licebit,
 108 dictaque lanigerae Moenia pelle suis,
 109 Taurinosque, altasque Alpes, Poeninaque castra,
 110 et Rhodanum, et ripas, magne Lemanne, tuas.
 111 Inde per immensum lati spatia bere campi ;
 112 ostendit sacrum mons ubi Jura nemus.
 113 Et veteres felix custodit Claudius arces,
 114 Claudius aeternae conciliator opis.
 115 Hic formidatas acies, ipsumque videbis
 116 elatum longa prosperitate ducem.
 117 Finitimis dum bella parat, tibi que arma, virosque
 118 commendans, magni jus dabit imperii,
 119 nimirum ingeniumque sagax miratus, et artes,
 120 quaeque dabis mentis plurima signa tuae.
 121 Quapropter mediis generum te deligit armis,
 122 pollicitus natae spemque, torumque suae.
 123 Ac velut Oenomai currus, astumque secutus,
 124 eludet pacti foedera conjugii.
 125 Sed male ut Oenomaos currus cessere, dolique ;
 126 perfidiae poenas sic ferus iste luet.
 127 Ter victus, ter jam castris exutus ab hoste,
 128 postremo miseram corruet ante diem.
 129 Nam dejectus equo, fossaque inventus in alta,
 130 obscaenam turpi sanguine tinget humum.
 131 Nec jam erit, extremos funus qui curet ad ignes ;
 132 non lapis, incisis qui tegat ossa notis.
 133 Tu celsus, tu sublimis, tu victor honorem
 134 accipies, tibi quem Gallia tota dabit ;
 135 bisque tuis referet superatos Lingonas armis,
 136 ductaque bis pulvos signa per Helvetios :
 137 praeterea quantum populorum Mosa coercet ;
 138 quantum caerulea Rhenus inundat aqua.
 139 Atque erit is nostrae gentis vigor, omnia credi
 140 ut possint justo succubuisse metu.
 141 Hic ego te, laudesque tuas, fortissime Juli,
 142 non sileam, et valida proelia gesta manu.
 143 Quem titulis Aquiviva domus praelustribus ornat ;
 144 mortalesque inter, semideosque locat.
 145 Et jam militiae moles tibi creditur omnis ;
 146 omnia sub leges allicis ipse tuas.
 147 At te patrato, juvenum pulcherrime, bello
 148 tempus erat patriis dona tulisse deis ;

149 mendacisque simul fastus, odiumque tyranni
 150 cum prope defenso deseruisse solo.
 151 Eia age rumpe moras, invitaque castra relinque ;
 152 fidaque magnanimi limina Regis adi.
 153 Cui vel ad Oceani fines tot litora parent ;
 154 juraque dant scpetri Celtica regna sui.
 155 Hic tibi felices taedas, certosque hymenaeos
 156 expediet, tutas et simul addet opes.
 157 Testis erit Liger, Arvernus qui fusus ab antris
 158 libera devexum per loca findit iter.
 159 Interea Patrem, Campanaque tecta revisa,
 160 debitaque auspiciis, hei mihi, regna tuis
 161 debita, sed fatis cito jam cessura malignis,
 162 evertet tantas quum ferus hostis opes.
 163 Dii maris Etrusci, per quos Tiberinus, et Arnus,
 164 Macraque caeruleis jungitur altus aquis ;
 165 dum redit in patriam juvenis, tot honoribus auctus,
 166 candida felici solvite vela Noto.
 167 Vosque, citae puppes, jussum properate per aequor :
 168 fata dabunt istas saepe iterare vias :
 169 nec semel hos tractus, Ligurumque videbitis oras,
 170 aut Vari infaustum fluminis hospitium ;
 171 vallatosque sinus scopulis, Torrentia claustra,
 172 et sparsas mediis Stoechadas aequoribus.
 173 Denique Phocaicosque sinus, Marioque refossum
 174 litus, et antiquae moenia Massiliae.
 175 Donec fatales Turonorum accedere muros
 176 permittant vestro fata sinistra Duci.
 177 Ah Liger, ah nimium lacrimis urgende meorum,
 178 qualia spectabis flumine busta tuo !
 179 Busta, quibus magni ponant diademata reges ;
 180 grataque solemni flore parentet humus.
 181 Atque aliquis Latio veniens novus hospes ab orbe,
 182 portet honoratas munus ad inferias ;
 183 et dicat : Federice, tuorum hic meta laborum
 184 haesit. Habet nostros haec brevis urna Deos.

ELEGIA SECUNDA, QUOD PUERITIAM EGERIT IN PICENTINIS,
 AD CASSANDRAM MARCHESIAM.

E3_02 v.1 Est Picentinos inter pulcherrima montes
 2 vallis : habet patrios hic pia turba Deos.
 3 Quam super hinc caelo surgens Cerretia rupes
 4 pendet : at huic nomen Cerrea silva dedit.
 5 Parte alia sacrae respondent saxa Tebennae ;
 6 quique rigens Merulae nomine gaudet apex.
 7 Et circum nigra late nemus accubat umbra,
 8 plurima qua riguis effluit unda jugis,
 9 semiferi, si vera canunt, domus horrida Fauni,
 10 convectant avidae quo sua lustra ferae.
 11 Accipit hic tergo formosum bucula taurum :
 12 accipit immundum sima capella marem.

13 Mille tori Dryadum, Satyrorum mille recessus,
14 antraque silvicolae grata latebra Deae.
15 Vivula nomen aquae, tenuisque Subuncula rivo,
16 et quae de gelida grandine dicta sonat.
17 Huc mea me primis genitrix dum gestat ab annis,
18 deducens caro nupta novella Patri ;
19 adtulit indigenis secum sua munera Divis,
20 in primis docto floreaserta gregi.
21 Grex erat Aonidum coetu comitata sororum
22 ipsa sui princeps Calliopea chori
23 Delius argutis carmen partitus alumnis,
24 flectebat faciles ad sua plectra manus.
25 Atque hic me sacro perlustravere liquore ;
26 cura quibus nostrae prima salutis erat.
27 Tum lotum media puerum statuere chorea,
28 et circumfusus obstrepere sonis.
29 Denique praecinctumque hederis, et virgine lauru,
30 ad citharam dulces edocuere modos.
31 Tantus erat laetis avium concentus in agris,
32 ut posses ipsos dicere adesse Deos.
33 Venerat omne genus pecudum, genus omne ferarum,
34 atque illa festum luce habuere diem.
35 Tunc ego pastorum numero, silvestria primum
36 tentavi calamis sibila disparibus.
37 Deductumque levi carmen modulatus in umbra,
38 innumeros pavi lata per arva greges.
39 Androgeumque, Opicumque, et rustica sacra secutus,
40 commovi lacrimis mox pia saxa meis,
41 dum tumulum carae, dum festinata Parentis
42 Fata cano, gemitus dum, Melisea, tuos.
43 Ac tacitas per operta vias rimatus, et antra
44 inspecto, et variis flumina nata locis.
45 Mox majora vocant me Numina : scilicet alti
46 incessere animum sacra verenda Dei ;
47 sacra dei Regisque hominum, Dominique Deorum,
48 primaevum sanctae religionis opus ;
49 nuntius aethereis ut venerit aliger astris,
50 dona ferens castae Virginis in gremium.
51 Quid referam causasque ovium, lususque canentum
52 pastorum, et Reges, Arsacis ora, tuos ?
53 Nec minus haec inter piscandi concitus egit
54 ardor in aequoreos mittere lina sinus,
55 fallacesque cibos vacuis includere nassis,
56 atque hamo undivagos sollicitare greges ;
57 quandoquidem salsas descendi ego primus ad undas,
58 ausus inexpertis reddere verba sonis.
59 Quid referam mollesque Elegos, miserabile carmen,
60 et Superis laudes non sine ture datas ?
61 Quaeque aliis lusi numeris, dum seria tracto,
62 dum spargo varios per mea dicta sales.
63 Multaque praeterea, dilectae grata puellae,
64 adscisco antiquis rursus Etrusca modis.
65 Ut sileam nunc impensos tot regibus annos ;
66 tot data belligerae tempora militiae :
67 et sileam vexata malis mea corpora morbis,

68 vixque Machaonia restituenda manu.
69 Adde graves populi que fugas, procerumque ruinas,
70 inflictas et miseris urbibus exsilia.
71 Ipse per infestos tecum, Federice, labores
72 multa adii terra, multa pericla mari.
73 Tuscorumque vadis, Ligurumque exercitus undis,
74 postremo litus Massiliense subii.
75 Jam Rhodanum, Volcasque feros, Vocontiaque arva
76 legimus, et fines, Belgica terra, tuos.
77 Bisque pruinosas cursu superavimus Alpes :
78 bis metas magni vidimus Oceani.
79 Atque hic te tandem deflevimus, optime Regum ;
80 quantum Hecube natos fleverat ipsa suos ;
81 quantum discissis fratres Cassandra capillis,
82 Andromacheque sui dum legit ossa viri.
83 O fatum infelix, o sors male fida, quid illic
84 egimus ? O tristi mersa carina loco.
85 Quum nullum interea frugis genus imbri, vel aestu
86 redderet ingenio musa vocata meo.
87 Et jam miramur, longo si pressa labore
88 amisit vires parvula vena suas ?
89 Ipse Deum simul, atque hominum celebrator Homerus
90 deficeret, ne dum segnis, inersque lyra.
91 Deficeret pater ipse, et carminis auctor Apollo ;
92 Pegasidum sacras qui tenet unus aquas.
93 Ergo, tanta meae quum sint dispendia vitae
94 facta ; potes nostram quisque dolere vicem :
95 quod non ingenio, quod non profecimus arte ;
96 quod mea sit longo mens prope victa situ :
97 quod mala subrepens imos, ceu pestis, in artus
98 irruerit, fracto corpore, segnities ;
99 nec pote jam lapsae studium revocare juventae,
100 ingenii quum sit tanta ruina mei.
101 Tu saltem, bona posteritas, ignosce dolori ;
102 qui facit, ut spreto sit mea fama loco :
103 Musarum spolierque bonis, et nomine claro
104 vatis ; et haec ultro credat habere mala.
105 Prosit, amicitiae sanctum per saecula nomen
106 servasse, et firmam regibus usque fidem.
107 Vosque vel ignavo, vel tardo parcite, amici,
108 cui natura suas dura negarit opes ;
109 dum tamen ambitione mala, atque libidine turpi,
110 et caream invisae crimine avaritiae.
111 Tu quoque vel fessae testis, Cassandra, senectae,
112 quam manet arbitrium funeris omne mei ;
113 compositos tumulo cineres, atque ossa piato,
114 neu pigeat vati solvere iura tuo.
115 Parce tamen scisso seu me, mea vita, capillo ;
116 sive : sed heu prohibet dicere plura dolor.

ELEGIA TERTIA, DEOS NEMORUM INVOCAT IN EXSTRUENDA DOMO.

E3_03 v.1 Dii nemorum, salvete : ego vos de rupe propinqua,
 2 de summis patriae moenibus adspicio :
 3 adspicio, venerorque. Cavae mihi plaudite valles,
 4 garrula vicinis perstrepat aura jugis.
 5 Vos quoque perque focos felicia dicite, cives,
 6 verba, per intactas flore decente vias.
 7 Victima solennes eat inspectanda per aras,
 8 turbaque Palladia fronde revicta comas.
 9 Mosque ut ab antiquae repetatur origine Romae,
 10 exterior forda cum bove taurus aret.
 11 Ac prius infosso tectum quam cingere sulco
 12 incipimus, justos ture piate Deos.
 13 Nulla per obductum decurrant nubila caelum :
 14 candidaque augustum concinat omen avis.
 15 Exsurgat paries, ventos qui pellat, et imbres,
 16 qui multa circum luce serenus eat.
 17 Adsit dispositis series concinna columnis ;
 18 quaeque ornet medias crebra fenestra fores.
 19 Ipse biceps primo custos in limine Janus
 20 occurat laetis obvius hospitibus.
 21 Protinus a dextra sacrae, mea turba, Sorores
 22 cingant virgineis atria prima choris.
 23 A laeva nitidis stratum Pythona sagittis
 24 miretur posita Cynthius ipse lyra.
 25 Aedibus in mediis parvi sinus amphitheatri
 26 visendas regum praebeat historias.
 27 Ac primum triplici se se defendat ab hoste
 28 Fernandus rapido jam metuendus equo.
 29 Alfonsusque pharetratas, dira agmina, gentes
 30 cogat Hydruntinis cedere litoribus.
 31 Tum juvenis Rex ipse, et Regum insignibus auctus
 32 Alpinos adigat linquere casta duces.
 33 Postremo Federicus, avito laetus honore,
 34 Dalmaticas grandi classe refringat opes.
 35 Infestosque Deos, metuendaque jura minatus,
 36 indicat Nato bella gerenda suo.
 37 Hic bene conveniens membris variantibus ordo
 38 adspiciat celebres e regione fitus.
 39 Exedrae, xystique, tablinum, hypocausta, diaetae,
 40 et quae privatis usibus apta velim.
 41 Atque aliae Occasus, aliae vertantur in Ortus,
 42 quaeque habeant Boream, quaeque inhibere Notum.
 43 Jungantur longis quadrata, obliqua rotundis :
 44 et capiat structos plurima cella toros.
 45 O studiis placitura meis, o mille per artes.
 46 Otia Pieriis nostra juvanda modis.
 47 Hic ego tranquillo transmittam tempora cursu,
 48 dum veniat fatis mitior hora meis.
 49 Viximus aerumnas inter, lacrimosaque Regum
 50 funera : nunc patria jam licet urbe frui :
 51 ut quod tot curae, tot detraxere labores,
 52 restituat vati Parthenopea suo.